

Paria de discipulis *Marci* ibidem extant, relata a scriptore co-ævo rerum experto (y) & ad Ecclesiæ testimonium provocante.

§. VIII. His ita se habentibus mirari satis non possum, *Godofr. Arnoldum* in Patrum lectione plurimorum opinione verissimum, non modo *Valentinianos*, ut injuste expulsos promiscue sustinuisse defendere (z), sed & *Gnosticorum* hæreticorum spurcitiem ceu fabulam & calumniam ab *Epiphano* primum productam explosisse (a); quod licet postea, *Clementis Alex.* Epiphano antiquioris testimonio per *D. Feustkingium* convictus, commoda verborum suorum interpretatione correxerit (b), nescio tamen, qui satis excusari queat, quod Epiphano etiam in rebus de libidine *Gnosticorum* αὐτοψία compertis fidem derogat, weil er seine relation, daß er selbst dergleichen erfahren/ mit nichts bestärke. Quibus enim argumentis aut testibus demonstrare potuit, quæ sibi remotis arbitris obtigerant? (c) Epiphanium quandoque nimis credulum populari famæ fuisse non nego: at hoc in negotio mitius de eo judicandum censet *Celeb. D. Buddeus* (d), eo quod quæ de *Gnosticis* narrat, eorum testes citet non modo libros *Gnosticorum* a se lectos, sed etiam viros fide dignos, & ipsos insuper talium patratores, in quos incidens, & per lubricam aetatem ab earum fæminis ad societatem scelerum invitatus, ex ore sua facinora narrantium, αὐτοῦ ἑσώπῳς hac audiverit. Quid? quod *Christianus Democritus* (e) fidem Epiphanii hac in re sponte agnoscit, & non *Gnosticos* solum, sed ex schola quoque eorum prodeuntes illosque excipientes hæreticos per carnales ejusmodi homines, quales sanctæ sunt meretrices, disseminasse dogmata sua, nobiscum asserit.

§. IX.

(y) vid. *Prefatio Irenæi ad Lib. I.* (z) *H. E. T. I. Lib. II. cap. IV. §. 19.*
 (a) l. c. §. 26. seqq. (b) *Supplem. H. E. p. 50.* (c) vid. *Epiph. her. 26. prope finem.* (d) in *dissert. de Hæresi Valent. annexa Hist. Phil. Ebr. pag. 453.* (e) im *Wegweller zum verlohrenen Licht und Recht 6. V. p. 222. 223.*